De Poetices Aristoteleae principiis.

Quisquis hac quidem aetate de Aristotelis vel dicendi genere vel explorandi et disputandi ratione vel de universae doctrinae vi atque auctoritate vel de singulis ejus operibus disciplinisque est scripturus, quod rem alienam agat haud facile accusabitur. Viget enim floretque tam laete hoc studiorum genus nostris temporibus prope ut quum eruditissimus quisque et e grammaticorum et e philosophorum ordine huic ipsi auctori non minus locupleti quam difficili navet operam vel summam, esse impudentiae possit videri si quis minus expertorum non dico de leviori aliqua controversia peculiari verba faciat verum potius inter tantae gravitatis vocum certamina sententiam suam audeat dicere de principio quodam philosophandi rationis universae gravissimo quod praeter cetera ab viris doctissimis sagacissimis tractatum esse videatur. Nos autem jamjam de Poetices Aristoteleae principiis inituros dissertationem ut fugiat fieri non potest hoc potissimum in genere quaestionum Aristotelearum inesse et propter rei ipsius angustias et propter opinionum diversitatem tam graves difficultates, ut multae summa nostra opera et contentione non modo non vinci sed ne diminui quidem aliquanta ex parte possint. Verum tamen operae videtur pretium esse id unum agere ut magis appareat quales atque quantae sint eae ipsae discrepantiae quae intercedant inter auctorum eorum qui de illa quaestione disceptaverint opiniones et judicia. Hoc enim disserendi modo, quantum quidem per rei ipsius nostraeque indolis naturam licet, facillime explicari posse consentaneum est et quantum in interpretando et aestimando Aristotele peccaverint commentatores et quibus doctrinae Aristotelicae ipsius locis re vera extent angustiae lacunae errores. Fuerunt enimvero neque unquam redibunt illa tempora quibus quaecunque philosophus noster doceret tamquam religiose crederentur atque nefas esse existimaretur vel minimum eorum quae illi placuissent addubitare. Id enim singulare est eorum quae nunc coluntur antiquitatis studiorum ut summa cum verecundia et admiratione conjunctus sit animus in judicando reprehendendo corrigendo liberrimus. Attamen equidem nescio an illustrissimo illi saeculorum magistro etiamnunc ex magno eorum qui ei vacant numero plerique ita operam impendant ut magis admiratorum quam judicum partibus fungantur. Ii certe de eruditione nostra optime meriti viri sapientes qui quum Aristoteles, doctrinae scholasticae auctoritate semel collapsa, duo fere saecula oblivione esset obrutus, denuo sapientiae philosophorum veterum fontes aperuerunt, suo quidem jure dubiis atque obscuris systematis partibus praetermissis certissima quaeque et gra-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vissima ostenderunt omnibus iis qui jam sese altius esse temporum progressu provectos quam qui possent a Platone vel Aristotele discere aliquid vana superbia efflati opinarentur. Sed commutatis temporibus atque studiorum conditionibus hoc potissimum temporis puncto non solum licet sed etiam oportet atque necesse est ut solam in rem ipsam conspectantes omnes merae veterum sapientiae eruendae studiosi vera a falsis constantia et firma a dubiis accuratissime discernant et seponant. Sed non partibus in omnibus pari eventu hoc contingere, consentaneum est quoniam quamvis longe sint provecta non minus philosophiae ipsius quam historiae grammatices denique antiquitatis studia, tamen permulta in singulis Aristotelis disciplinarum momentis relicta sunt, quae sive fatorum malignitate sive auctoris ipsius culpa parum luculenter appareant quam quae simpliciter aut approbentur aut repudientur. Quam vere hoc quidem sit dictum affatim et abunde ex hac quoque commentatione elucescet. Ipse enim ego de poetices principiis diligentius disquirere hac imprimis causa sum commotus quod postquam diu doctrina vulgo quae traditur obsequens, summas in his finibus notiones satis esse claras et fixas confisus sum, mox quum libros Aristotelicos ipsos evolvere coepissem, universa ea philosophiae pars quam Aristoteles appellavit *ποιητικήν* atque ideo artis principia fere omnia in obscuris dubiisque versari primo obtutu mihi visa sunt. etiamsi haud ita pauca longius mihi progredienti et acrius circumspectanti plana et clara paullatim sunt facta quae alii jamdudum majore ingenii acumine adjuti recte viderant ipse ego propter aciei infirmitatem primum quidem cognoscere non potueram, tamen tam multa et gravia me impedire non desierunt ut earum difficultatum quas vel eruditissimorum interpretum commentariis in consilium vocatis expedire non potui nonnullas hoc loco proferre animum inducerem.

Ac primum quidem illustrandum videtur esse quem locum Aristotele auctore teneat ea philosophiae pars cui ab illo quidem primo nomen inditum sit *ποιητικῇ*. Sed jam hic ad initium totius systematis idem quod saepenumero in arctioribus disciplinarum singularum finibus reperitur, nobis occurrit, ut ex qua cetera pendeant omnia notio summa definitione exacta omnino non constituta et praemissa ultro tamquam proponatur atque deinde quasi ejus vis per se ipsam patefiat ad quaelibet efficienda et collustranda adhibeatur. jam enim in usurpanda philosophiae ipsius notione sibi non constare videtur Aristoteles quum modo ejus vim tantopere propaget ut omnes eas quae ad causam explorandam omnino attineant cognoscendi rationes amplectatur[1]) modo eam sensu arctissimo coerceat quo solum id quod est quatenus est (*τὸ ὂν ᾗ ὂν*) proprium esse velit philosophiae. hoc quidem strictiori sensu scripta videmus haecce (Metaph. XI. 4 p. 1061 b, 25): *ἡ δὲ φιλοσοφία περὶ τῶν ἐν μέρει μὲν ᾗ τούτων ἑκάστῳ τι συμβέβηκεν οὐ σκοπεῖ, περὶ δὲ τὸ ὂν ᾗ ὂν τῶν τοιούτων ἕκαστον θεωρεῖ.* haec sola scientia est *ἡ τοῦ φιλοσόφου ἐπιστήμη* (Metaph. XI. 3 p. 1060 b, 25);[2]) huic imprimis imponit illustre nomen sapientiae (Met. I. p. 981 b, 28; I, 2

---

[1]) Metaph. I, 9, p. 992, 24: *ὅλως δὲ ζητούσης τῆς σοφίας περὶ τῶν φανερῶν τὸ αἴτιον . . .*

[2]) cf. l. l. IV, 2, p. 1104 b, 15: *τῷ ὄντι ᾗ ὄν ἐστί τινα ἴδια καὶ ταῦτ' ἐστί περὶ ὧν τοῦ φιλοσόφου ἐπισκέψασθαι τἀληθές.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

p. 982 a, 6). eo quoque loco quo diligentius de virtutibus intellectus (*ἀρεταῖς διανοητικαῖς*) disserit (Eth. Nicom. VI.) sapientia ita definitur ut sit: *ἐπιστήμη*[1]) *καὶ νοῦς*[2]) *τῶν τιμιωτάτων τῇ φύσει*, sed hic quidem aliquantum obsequitur pervulgato dicendi usui, quem Plato quoque sibi asciverat, quum etiam artificibus, qui quidem praeter ceteros excellant, sapientiae nomen impertiat[3]).

At vero quamvis discrepantes inter se illae definitiones sese praestent, quodammodo consociandae esse videntur diversae Aristotelis de philosophiae notione opiniones ita ut pro universo ejus cogitandi modo qui ad finem summum omnia refert, singula philosophandi genera inter se et firmitate et dignitate differant eum in modum ut ea scientia quae cognitionem maxime claram et distinctam praebeat summum teneat locum atque hanc propter causam »prima« quae appelletur digna sit, ceterae ex ordine aestimationis descendente deinceps consequantur. Sed, qualis hic ipse sit ordo et quo loco constituendus sit finis verae philosophiae atque incipiant ea cognoscendi genera inferiora quae illo nomine illustri jam non sint digna, hoc ipsum ex auctore nostro quaerere non licet. Cavendum autem est ne nimis gravi crimini vertamus Aristoteli tale aliquod quod tota fere antiquitas peccaverit. Enimvero neque ante Aristotelem quisquam sive physiologorum veterum sive Socraticorum neque postea ulla sapientium secta hanc lacunam explere conata est. Quae enim per saecula Stoicorum praecipue auctoritate pervulgatae sunt philosophiae partes, ethica physica logica, eae neque satis inter se cohaerere videntur neque quo ex dividendi principio sint derivatae satis constat. Quodsi Cicero[4]) quidem hanc »triplicem philosophandi rationem jam a Platone fuisse acceptam« memoriae tradidit, e Platonis libris quales et quot nunc quidem extant quum Ciceronem verum vidisse non patefiat, confidendum est potius auctori etsi recentiori tutiori tamen, Sexto Empirico[5]) qui a Xenocrate primo illas in tres partes philosophiam esse divisam nos docet. Eandem autem partiendi rationem secutus esse videtur Aristoteles eo quidem tempore quo composuit librum qui inscribitur Topica in quibus videmus scriptum: *ἐστὶ δὲ ὡς τύπῳ περιλαβεῖν τῶν προτάσεων καὶ τῶν προβλημάτων μέρη τρία. αἱ μὲν γὰρ ἠθικαὶ προτάσεις εἰσὶν αἱ δὲ φυσικαὶ αἱ δὲ λογικαί*[6]). Quia autem ex eo quod velut exemplum logicae disciplinae ponit, rerum contrarie inter se oppositarum eandem esse scientiam, dilucide apparet, hanc logices notionem et ea quae Analytica ab Aristotele nuncupentur et philosophiam quam

---

[1]) Eth. Nic. VI, 3: *ἐπιστήμη ἐστὶν ἕξις ἀποδεικτική.*

[2]) eod. l. VI, 6: . . . *λείπεται νοῦν εἶναι τῶν ἀρχῶν.*

[3]) l. l. VI, 7 init.: *τὴν δὲ σοφίαν ἔν τε ταῖς τεχναῖς τοῖς ἀκριβεστάτοις τὰς τέχνας ἀποδίδομεν . . . ἐνταῦθα μὲν οὖν οὐθὲν ἄλλο σημαίνοντες τὴν σοφίαν ἢ ὅτι ἀρετὴ τέχνης ἐστίν.*

[4]) Acad. Post. I, 5, 19 fuit ergo jam accepta a Platone philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus altera de natura et rebus occultis tertia de differendo et quid verum quid falsum quid rectum in oratione pravumve quid consentiens quid repugnans judicando.

[5]) Adv. Math. VII, 16.

[6]) In eodem autem libro ea quoque invenitur dividendi ratio quam postea constanter secutus est Aristoteles, quum VI, 6 legantur haecce: *τῶν γὰρ πρός τι καὶ αἱ διαφοραὶ πρός τι καθάπερ καὶ τῆς ἐπιστήμης· θεωρητικὴ γὰρ καὶ πρακτικὴ καὶ ποιητικὴ λέγεται.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dixerit primam — quae postea appellata est *τὰ μετὰ τὰ φυσικά* — una complecti, quae plerumque ab auctore nostro distincte segregantur, hac in definitione Aristotelem acquiescere non potuisse liquet. praeterea haec partiendi ratio quum uno solo loco nitatur, reperiatur haud ita exiguus numerus locorum quibus philosopho alter duplex quidam dividendi modus probatus esse videatur, eum dico qui philosophiam theoreticam opponit practicae[1]), facile potuit accidere ut non modo Pasicli Rhodio[2]) et Eudemo[3]) discipulis sed etiam Peripateticis plerisque iisque e Neoplatonicorum numero qui Aristotelis libros commentariis extruxerunt, fere omnibus illa in theoreticen et practicen philosophandi partitio videretur vere Aristotelica.

Sed haec quoque dividendi ratio minus exacte meram philosophi sententiam expressisse videtur, quia haud ita raro agendi facultas (*πρακτική*) sensu latiore exhibeatur ab Aristotele, atque ita ut eam quam alioquin acute distinguat facultatem procreandi (*ποιητικήν*) una complectatur. iis enim in libris qui optimo jure summam universae philosophiae Aristoteleae continere dicuntur, in Metaphysicis dico, docetur expressis verbis in modum doctrinae firme constitutae et spectatae tria genera philosophandi esse haec: theoreticum practicum poeticum.[4])

Atque hic quidem dividendi modus ab Aristotele ipso non simpliciter tamquam sine adminiculis propositus est – quod saepenumero ab Aristotele peccatum esse valde lugendum est — sed diligentius et psychologicis et metaphysicis de principiis declaratus est in eo Ethicorum Nicomacheorum libro (VI.) quo de intellectus virtutibus instituta est anquisitio. etiamsi enim ignari nos quidem non sumus esse quod dubitetur utrum hic ipse Ethicorum liber ab Aristotele ipso sit conscriptus an auctore utatur Eudemo cui libri V. et VII. quoque a nonnullis addicuntur tota tamen controversia Leonardi Spengelii imprimis opera cujus sententias universas sequuntur Prantl Brandis Zeller eam ad partem soluta esse videtur ut nostro jure iis quae illo loco extent argumentis pro vere Aristoteleis nobis uti licere arbitremur.

At vero etiamsi hujus libri qui pro totius systematis ratione non parvi momenti est habendus auctoritatem addubitandam non esse liceat credere, non minus e differentiis quae inter hunc locum et ceteras de animae facultatibus doctrinas Aristoteleas intercedunt quam ex obscuritate quadam et nimia brevitate in rebus his gravissimis constituendis multae nobis occurrunt et durae difficultates quas distincte ostendisse satis nobis fuerit.

Ac primum quidem pro rato habet noster antiquam illam doctrinam quam absolutissima forma pro universa physiologorum ratione exposuerat Empedocles[5]), esse certam similitudinem atque affinitatem inter res eas quae ratione et intellectu percipiantur et

---

[1]) Eth. Nic. II, 2, p. 1103b, 26; VI, 2, p. 1139a, 18; de Anima III, 10, p. 433, 14; Polit. VII, 14, p. 1333, 24.

[2]) Metaph. *α ἐλατ.* p. 993b, 19.

[3]) Eth. Eud. I, 1, p. 1214, 8 sqq.

[4]) Metaph. VI, 1, p. 1025b, 25 *πᾶσα διάνοια ἢ πρακτικὴ ἢ ποιητικὴ ἢ θεωρητική*; 1026b, 5; cf. l. l. XI, 7, p. 1064, 16.

[5]) v. d. Anima I, 2, 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eas animae facultates quibus efficiatur cognitio ipsa, atque eum in modum ut ad ea quae rerum natura genere sint diversa accommodentur partes animae genere diversae ipsae[1]).

Hoc autem fundamentum tamquam totius de anima doctrinae, quae et quales sint hae partes animae genere diversae, satis firme non constat propter Aristotelis ipsius dubitationem vel negligentiam. quo enim loco contra Platonis et eorum qui hujus vestigia presserunt modos partiendae animae rationibus rebusque pugnat[2]) non modo quas illi posuerint partes animae per se stare non posse contendit verum etiam partitionem omnino non admittit, sed ita animam in unum comprehendit ut facultas superior inferiori quasi fundamento utatur. id quidem negari nullo modo potest, hac quoque in re aeque difficili atque gravi sibi non constare Aristotelem, quem non solum ut singulas partes inter se saepius[3]) ita mentem activam (*τὸν νοῦν ποητικόν*) semper acutissime seponat a ceteris animae humanae viribus et a Platone magistro perductus partes animae universae singulas singulis animantium generibus addicit, sed etiam nusquam demonstravit e principiis generalibus profectus, quem in modum inter se connexae sint singulae facultates vel partes atque, quod gravissimum est, qua in ratione posita sit unitas illa animae quae in genere quidem humano conscientia singulorum individua sese praestet manifestetque.

Quibus difficultatibus semel neglectis fieri potuit ut pro diversa disciplinarum quas forte tractaret ratione hoc vel illo partiendi modo uteretur. Atque in iis quidem libris quos de anima ipsa composuit partes animae quodammodo infinitas esse fingendas numero dicit quum Platonis sententiam animam aut tripertitam aut bipertitam esse existimandam irritam reddere velit, eo autem loco quo suam ipsius opinionem exactius explicat (II. 3) quinque has enumerat facultates: *τὸ θρεπτικόν τὸ αἰσθητικόν τὸ ὀρεκτικόν τὸ κινητικὸν κατὰ τόπον τὸ διανοητικόν* quibus alio loco adjungit *τὸ φανταστικόν* cujus vis quamquam ab Aristotele non satis perspecta et applicata est, tamen nonnunquam ad alias quasdam diversas facultates connectendas recte adhibetur[4]). ea autem quae vulgo laudatur velut vere Aristotelica dividendi ratio triplex (*θρεπτικόν αἰσθητικόν διανοητικόν*) constanter aptissimeque usurpatur per omnes qui de naturae organicae scientia agunt libros quoniam optime hae tres animae facultates adaptatae sunt ad tria rerum animatarum genera stirpium animalium hominum.[5]) — Atque vero in Ethicis disputationibus quae quam arcte firmeque ex principiis psychologicis pendeant Aristotelem non praeteriit eum ipsum par-

---

[1]) Eth. VI, 2, p. 1139, 9: *πρὸς γὰρ τὰ τῷ γένει ἕτερα καὶ τῶν τῆς ψυχῆς μορίων ἕτερον τῷ γένει τὸ πρὸς ἑκάτερον πεφυκός, εἴπερ καθ' ὁμοιότητά τινα καὶ οἰκειότητα ἡ γνῶσις ὑπάρχει αὐτοῖς.*

[2]) d. Anima III, 9, cf. Trendelenburgii adnot. ad h. l. in edit.

[3]) Exempli gratio affero l. d. An. p. 415, 2: *τοῦ αἰσθητικοῦ χωρίζεται τὸ θρεπτικόν.*

[4]) d. An. II, 413b, 22 *εἰ δὲ αἴσθησιν — καὶ φαντασίαν καὶ ὄρεξιν· ὅπου μὲν γὰρ αἴσθησις λύπη τε καὶ ἡδονὴ παρακολουθεῖ ὅπου δὲ ταῦτ' ἐξ ἀνάγκης καὶ ἐπιθυμία.* cf. II, 3, p. 414b, 4.

De hac quaestione universa v. Schrader, de artis ap. Arist. notione ac vi p. 35 sqq. cf. Zeller, d. philosophie d. Griechen II, 2, p. 446; ubi laudatur Schrader, Arist. d. voluntate doctrina p. 8.

[5]) Meram Platonis partiendi rationem triplicem (d. Rep. IV, p. 436—441) docent Topica Aristotelea quae propter compositionis ipsius tempus proxime ad opiniones Platonicas accedunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tiendi modum quem in libris de anima (III. 9) expressis verbis refutavit, restituere non dubitat, quum alteram partem animae rationis participem alteram expertem esse velit.[1])

Quomodo haec summis in principiis psychologicis ejusdem philosophi sententiarum diversitas explicari potest? eum enim in modum quem proponat vir doctissimus Reinkensius[2]) controversiam de medio tolli facillime, persuadere nobis non possumus. hic enim Aristotelis interpres et judex quoniam, velutsi nemo umquam suo jure dubitaverit, pro certo ratoque habet de animo libros prius conscriptos esse quam Ethica Nicomachea — quod quidem gravibus de rationibus negari debet — Aristotelem ea quae illo loco de animae partitione docuerit postea irrita esse intellexisse et ad sententiam veterem a Platone traditam revertisse contendit. atque quum Aristoteles ipse aetate priore diligentius exposuerit illam magistri doctrinam psychologicam in dialogo qui inscribitur Eudemus in hunc librum respicere nostrum, pergit iste, Ethicorum illo loco (I, 13) quo dicat: *λέγεται δὲ περὶ αὐτῆς (τῆς ψυχῆς) καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις ἀρκούντως ἔνια καὶ χρηστέον αὐτοῖς.* id quidem satis constare concedendum est hoc loco nullum alium nisi dialogum illum celeberrimum, quo Platonis Phaedrum imitatus esse videtur, significari, sed ea quae hac ex re concludendo efficiuntur a Reinkensio quin infitiemur facere non possumus. quod enim de anima libri priusquam Ethica conscripti esse dicuntur ne is quidem locus qui sicut firmissimum hujus judicii fundamentum proferri solet, eum dico (VI. 13 p. 1144 a, 10) qui de vegetativa (*τῷ θρεπτικῷ*) tamquam quarta animae parte loquitur, minimum comprobare mihi videtur, quoniam quod apertissime patebit mox in Ethicis ipsis animam in quattuor quasdam partes minores separari docetur. sed etiamsi eo tempore quo Ethica composita sunt de anima libri jam extitissent, tamen ea sola ex causa quod Aristoteles Ethicas disputationes iis doctrinis psychologicis quas exactiore de natura animae disquisitione eruerit tamquam fundamentis fulciri non velit, effici nullo modo posset ut eas ipsas doctrinas irritas esse factas mox cognovisset auctor. immo vero usitatus est mos Aristotelicus — quanti hic usus per se spectatus sit aestimandus in medio nunc quidem maneat relictum — ut quia e natura propria sua quamque rem cognosci oporteat in disputationem de unaquaque disciplina tantum e principiis generalibus transmittat quod maxime sit necessarium vel deesse omnino non possit, atque ea in forma quae ad peculiarem rei naturam optime videatur adaptata ita ut minoris fiat momenti utrum ea ipsa quae quasi extra rem propositam extent per se perfecta et absoluta sint necne. Adde quod pro universa quaestionum ethicarum natura, quarum propositum finem non tam veri cognitionem quam rectam actionem esse vult philosophus, plane accuratam e principiis extremis demonstrandi rationem hoc in disquirendi genere adhibendam non esse persuasum habet.[3]) quae quum ita sint incredibile minime est Aristotelem etiamsi de animae

---

[1]) Eth. I, 13; VI, 2. Hanc quoque de animae partibus doctrinam e Platone originem ducere docent Magna Mor. I, 1; cf. Tim. p. 36.

[2]) Aristoteles über kunst, besonders über tragödie. 1870, p. 5.

[3]) Eth. I, 1: *τὸ γὰρ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἑκάστῳ τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον ὥσπερ οὐδ' ἐν τοῖς δημιουργουμένοις . . . παραπλήσιον γὰρ φαίνεται μαθηματικοῦ τε πιθανολογοῦντος ἀποδέχεσθαι καὶ ῥητορικὸν ἀποδείξεις ἀπαιτεῖν.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

partibus jam longe aliud ac Platonicorum multitudo re vera senserit, vulgato illo partiendi modo qui a Platone ipso non sine directo et constanti in quaestiones morales respectu formatus et excultus sit quippe qui ad finem propositum aptissimus[2]) atque ab opinione vulgari minime alienus sit, ita esse usum ad ethices principia constituenda ut de vera animae natura tali proponendi modo suum ipsius judicium absolutum non profiteretur.[3])

Sed haec quidem hactenus. quo jam propius accedamus ad propositum nostrum, diligentius considerasse juvabit qualis utraque earum quas Aristoteles constituerit animae partes, quum rationis participem alteram alteram expertem proposuerit, sit et quam habeat vim. in ea igitur quae rationis expers (*τὸ ἄλογον*) dicitur esse iterum distinendae sunt duae facultates, prima vis nutricia vel vegetativa quae quidem ad virtutem humanam prorsus nihil affert[4]) et appetitus (*ὄρεξις*) qui quodammodo connexus est cum ratione eamque ob causam valet ad virtutem et mores. eundem in modum duplex est rationis ipsius vis, altera (*τῷ ἐπιστημονικῷ*) eas res contemplamur quarum principia aliter se habere non possunt, altera (*τῷ λογιστικῷ*) spectamus ad ea quae aliter se habere possunt.[5]) hoc igitur dividendi modo eo pervenit Aristoteles ut ampla illa duo rerum genera quorum in altero regnat vis contemplativa activa in altero inter se discernat ex principio partiendi tali profectus quod ex animae humanae natura ipsa desumptum est atque quod et antea vulgo et in postero plerumque propter perspicuitatem quandam et probabilitatem applicari solitum est ad genera facultatum humanarum et scientiae ipsius universa segreganda, theoretica dico et practica. quae quidem quomodo inter se discrepent et satis clarum videtur esse neque de hac diversitate nostrum est multis disserere. id vero commentationi huic maxime proprium est quaerere et qua de causa et quem in modum Aristoteles his duabus facultatibus vulgo positis addiderit tertiam illam de qua nos diligentius agere nobis proposuimus poeticam.

Insunt in capite quarto Ethicorum libri sexti qui est de intellectus virtutibus scriptus, eae ipsae definitiones notionum quae ad totius systematis Aristotelei disponendi rationem plurimum valere semper nobis visae sunt. atque hic potissimum lugendum est — quod nimium profecto saepe in eruendis hujus philosophi doctrinis summis nobis accidit — nos quaerentes quae sint rerum de quibus extensius agere incipiat philosophus principia extrema et elementa, repelli et revocari ab auctore ad alia quaedam disputationum genera, quorum copia propter fatorum malignitatem jam nobis omnino non datur. unum enim hoc constituitur nostro loco ut sit rerum earum quae aliter evenire possint unum genus in

---

[1]) l. l. I, 13 *θεωρητέον δὴ καὶ τῷ πολιτικῷ περὶ ψυχῆς θεωρητέον δὲ τούτων χάριν καὶ ἐφ' ὅσον ἱκανῶς ἔχει πρὸς τὰ ζητούμενα· τὸ γὰρ ἐπὶ πλεῖον ἐξακριβοῦν ἐργωδέστερον ἴσως ἐστὶ τῶν προκειμένων.*

[2]) l. l. p. 1102 a 29 sqq.

[3]) l. l.: *τὸ θρεπτικὸν — τῆς ἀνθρωπικῆς ἀρετῆς ἄμοιρον πέφυκεν.* cf. p. 1144, 9.

[4]) l. l. VI, 2, 1139, 5: *καὶ ὑποκείσθω δύο τὰ λόγον ἔχοντα ἓν μὲν ᾧ θεωροῦμεν τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων ὅσων αἱ ἀρχαὶ μὴ ἐνδεχόμεναι ἄλλως ἔχειν ἓν δὲ ᾧ τὰ ἐνδεχόμενα.* cf. VI, 3 et 4.
cf. p. 1140b, 26 ubi alteri cognoscendi facultati datur nomen *δοξαστικῷ*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

procreando (*τῷ ποιεῖν*) alterum in agendo (*τῷ πράττειν*) positum, quoniam intercedat manifesta ratio inter procreationem (*ποίησιν*) et actionem (*πρᾶξιν*): *τοῦ δ' ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν ἔστι τι καὶ ποιητὸν καὶ πρακτόν, ἕτερον δ' ἐστὶ ποίησις καὶ πρᾶξις.* qualis vero haec sit differentia amplius non explicatur quum de his rebus satis esse disputatum dicatur in iis scriptis quae vocantur *λόγοι ἐξωτερικοί.*[1]) id quidem jam in occulto non est — debile re vera solatium — quibus praecipue in libris egerit Aristoteles de illa inter agendi et procreandi notiones diversitate, quia Jacobi Bernaysii[2]) opera et sagacitate exploratum habemus et in iis libris quos de poetis (*περὶ ποιητῶν βίβλοι γ'*) in modum minus limatum composuerit et in arte quae inscripta erat Gryllus rem illam subtilem gravemque petractatam esse, quatenus quidem illud magis populare scribendi genus postularet. fortius audere rem obscuram conjectando illustrare, nescio an sit minus prudentis. equidem satis intelligere non possum quibus nixus in fundamentis contenderit Reinkensius[3]) Aristotelem totum illum de actionis et procreationis differentia locum — inde a verbo *ὥςτε* usque ad verba repetita *ἐπεὶ δὲ ποίησις καὶ πρᾶξις ἕτερον* — ex alterutro dialogo verbo tenus expressum transposuisse in ethicarum quaestionum illum contextum. At vero haec quae rem nostram minus attingunt missa faciamus potiusque spectemus qualia sint pauca ea quae ad poetices notionem definiendam et explanandam nostro loco producuntur. Ac primum quidem opponuntur inter se actionis et procreationis definitiones limatissime conformatae atque ita altera assimulata alteri ut uno solo verbo hoc ipso *ποιητικῇ* et *πρακτικῇ* inter se discrepent. est enim ars, ad quam tendit universa procreandi vis, habitus cum vera notione procreandi (*ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική*), prudentia moralis (*φρόνησις*) ad quam agendi facultas attinet habitus cum vera notione agendi (*ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτική*).

Quibus constitutis additur — quod propter differentiam specificam consentaneum est — duas illas notiones non esse, si vocabulo ex artis logicae copia deprompto venia datur, coincidentes (*διὸ οὐδὲ περιέχονται ὑπ' ἀλλήλων*) quoniam neque actio sit eadem atque procreatio neque procreatio actio. hoc ex circulo logico hic quidem non egreditur Aristoteles quia ea omnia quae deinceps sequuntur ad differentiam inter agendum et procreandum explicandam fere nihil attribuant sed id unum agunt ut pro artis definitionis auctoritate ex exemplis aliquid argumententur atque deinde comprobent in artem cadere pro sua ratione easdem differentias cum mera sapientia quae omnino intersint inter res necessarias et sempiternas (*ὧν αἱ ἀρχαὶ οὐκ ἐνδέχονται ἄλλως ἔχειν*) atque res commutabiles quae vocantur contingentia (*τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν*). non multo plus valent ad differentiam duarum facultatum illustrandam ea quae mox sub finem capituli levius adjunguntur spectantia ad affinitatem quae intercedit inter casum fortuitum et artem neque magis adjuvant ea quae de contrarie arti opposito (*ἀτεχνίᾳ*) in similitudinem definitionis artis ipsius decernuntur.

---

[1]) p. 1140, 2: *πιστεύομεν δὲ περὶ αὐτῶν καὶ τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις.*
[2]) die dialoge des Arist. in ihrem verhältnis zu seinen übrigen werken. 1863, p. 57 sq.
[3]) l. l. p. 18.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quae quum ita sese habeant confitendum est, quo potissimum loco res postularet, neglexisse Aristotelem id ipsum ex quo cetera prope omnia penderent. Nimirum sibi reique de qua tum ageret se satis fecisse arbitrabatur si disputationes suas priores populares commemoraret atque quod quum hic tum in ceteris hujus generis locis supponendum esse nobis quidem persuasum est, omnino arbitrio vulgari elementa prima probanda committeret. atque profecto quicunque et locum nostrum et ea quae in Metaphysicis eodem spectant acrius conspexerit is facere non poterit quin concedat Aristotelem credidisse vocabula illa usu frequentissimo contrita et propagata *ποιεῖν* et *πράττειν* per se ipsa tantam vim habere ut luce clarius nemini non esset quid utrumque sibi vellet, qua ratione unum ab altero differret. fere omnia enim ea quae ex Aristotele ipso de hac re comperimus — sunt pauca sed non levia — fortuito potius passimque nobis occurrunt neque arcte de principiis rei ipsius pendent. ne id quidem verbis dicitur expressis iis locis quibus tria illa philosophandi genera theoreticum practicum poeticum aequo deinceps ordine enumerantur tamquam si eadem inter se ratione logica connexa sint, minime parem inter ea extare rationem quoniam, quod ex iis quae de principiis psychologicis Aristoteleis supra exposuimus clare elucet, aequo ordine conjuncta sint altera ex parte genus theoreticum quod ad res aeternas immutabilesque quae in se ipsis principium suum habent spectat, altera ex parte genus practicum et poeticum in unum comprehensum cui propria est facultas animi deliberativa (*τὸ λογιστικόν* sive *τὸ δοξαστικόν*) quodque attinet ad res contingentes quae vocantur. quae quum ita sint quis est quin videat practicum et poeticum genus multo propius inter se cohaerere quam utrumque cum tertio? at vero quamvis multa inter duas illas philosophiae partes quae in rebus »contigentibus« versantur, communia et similia inveniantur tamen neque sermonis graeci vulgo usitati copia uberrima neque Aristotelis ipsius voluntas et ingenium novandi vocabulum proprium tale quod universam illam faciendi (et agendi et procreandi) vim humanam exprimeret instituerunt, unde factum esse mihi quidem videtur ut modo *ποίησις* modo *πρᾶξις* nunc *τέχνη* nunc *ἀρετή* promiscue exhiberentur ab auctore nostro ubicunque differentia specifica neglecta de tota illa faciendi facultate loqui voluisset quae opposita est universa theoreticae. quot et quam graves hinc evadere possint vel debeant errores quis est quem fugiat?

Quibus igitur momentis inter se concinunt practice et poetice?

Primum quidem utrumque philosophandi genus versari in »contingentium« ambitu jam supra demonstravimus[1]): hoc autem tamquam fundamento semel posito consequitur continuo ut in utroque genere principium eveniendi non sit collocatum in re quae procreando vel agendo efficiatur, sed in eo qui efficiat, quod quidem Aristoteles eo ipso loco ex quo nos commentaturi profecti sumus clarissime expressit ita tamen ut de arte

[1]) cf. Anal. post. II, 19, p. 100, 8 . . . *τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης. ἐὰν μὲν περὶ γένεσιν τέχνης ἐὰν δὲ περὶ τὸ ὄν ἐπιστήμης.* hic quidem artis (*τέχνης*) notione una comprehensam esse virtutem apparet vel hoc ex loco Met. I, 3: . . *τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν· τέλος γὰρ γενέσεως καὶ κινήσεως τοῦτ' ἐστίν.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sola verba fieri posset existimari[1]), nisi e Metaphysicorum iis quos jam laudavimus locis satis aperte pateret de agendi vi non aliud sensisse Aristotelem[2]).

Deinde id quoque commune habent principium, quod commovet idem et eos qui acturi et eos qui procreaturi sunt, eam dico vim cui varia imposuit nomina philosophus haec: *διάνοιαν πρακτικήν, ὀρεκτικὸν νοῦν, ὄρεξιν διανοητικήν* de qua in universum spectans definit hocce: *διάνοια δ' αὐτὴ οὐδὲν κινεῖ ἀλλ' ἡ ἕνεκά του καὶ πρακτική· αὕτη γὰρ καὶ τῆς ποιητικῆς ἄρχει.*[3]) ea postrema causa — secundum universam Aristotelis de scientiae ratione sententiam — differunt a theoretica ita quidem ut huic cognitionis generi postponantur quod, quoniam ad res commutabiles et singulares attinent, minus acute limateque excoli posse dicuntur.

Quoniam de similitudine et affinitate agendi et procreandi notionum satis nos disseruisse arbitramur jamjam diligentius explorare oportebit, quibus rationibus diversae inter se sint practica et poetica, praesertim quum neque satis multa neque satis plana de hac re nobis sint tradita, ea quae extent a nonnullis vana et irrita existimentur.

Atque vero confisum esse nostrum vocabula illa frequentata per se ipsa vim et sensum prae se ferre, jam supra diximus, atque eum qui quid sibi velit *τὸ εὖ πράττειν* Aristoteleum — quo beatitudinis et actionis notiones simul comprehenduntur — satis perspexit praeterire nequit, quam bene vocabuli *τοῦ πράττειν* usus vulgaris adaptatus fuerit ei ipsi philosophi opinioni quae universae Ethicorum doctrinae quasi fundamento data est. Colligenda igitur sunt ea quae passim disjecta reperiuntur de diversitate illa decreta. quo autem loco de prudentiae (*φρονήσεως*) natura ac vi disputat Aristoteles, eum in modum seponit eam et ab scientia et ab arte ut velit a scientia prudentiam distare eo quod id quod actione efficiatur aliter quoque se habere possit (quod de artis operibus non minus valere apertum est), ab arte ea de causa quod — actionis aliud atque procreationis sit genus.[4]) nihil igitur novi haec nobis distinctio offert: verum tamen ea quae confestim eadem distinctione efficitur definitio limata notionis prudentiae occasionem praebet philosopho ad commemorandam differentiam quandam quae inter agendum et procreandum intercedat quum adjiciat haecce: *τῆς μὲν γὰρ ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος· τῆς δὲ πράξεως οὐκ ἂν εἴη· ἔστι γὰρ αὐτὴ ἡ εὐπραξία τέλος.*

Atque quisquis Aristotelis universam philosophandi rationem cognovit ne minime quidem mirabitur collocari diversitatis momentum in fine vel proposito (*τῷ τέλει*), cujus vis et auctoritas nullo systematis Aristotelei loco non extat; qua de causa supervacaneum

---

[1]) p. 1140, 11 *ἔστι δὲ τέχνη πᾶσα περὶ γένεσιν καὶ τὸ τεχνάζειν θεωρεῖν ὅπως ἂν γένηταί τι τῶν ἐνδεχομένων καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι καὶ ὧν ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ ποιοῦντι ἀλλὰ μὴ ἐν τῷ ποιουμένῳ.*

[2]) Metaph. VI, 1 *τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐν τῷ ποιοῦντι ἡ ἀρχή . . . τῶν δὲ πρακτικῶν ἐν τῷ πράττοντι ἡ προαίρεσις.* cf. XI, 7.

[3]) Eth. VI, 2, p. 1139b, 1.

[4]) Eth. VI, 5 *οὐκ ἂν εἴη ἡ φρόνησις ἐπιστήμη οὐδὲ τέχνη, ἐπιστήμη μὲν ὅτι ἐνδέχεται τὸ πρακτὸν ἄλλως ἔχειν, τέχνη δ' ὅτι ἄλλο τὸ γένος πράξεως καὶ ποιήσεως.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nescio an cui videatur hic si expressis admonetur, propositum (*τὸ τέλος*) ab hoc philosopho non in uno ordine cum fine aliquo exteriore vel qualibet applicatione poni sed idem atque veram rei naturam (*οὐσίαν*) significare.

Est igitur procreationis finis (*τέλος*) alius ac procreandi actus ipse, actionis essentia in bene agendo ipso (*τῇ εὐπραξίᾳ*) collocata est.

Hac autem de finium differentia ex universo quidem profectus Aristoteles non minus acute quam breviter locutus est in initio totius de moribus quem composuit libri ubi hunc fere in modum ratiocinationem incipit: diversitatem videri esse quandam finium qui partim sint operationes (*ἐνέργειαι*) partim opera extra operationes ipsas sita (*παρ' αὐτὰς ἔργα τινά*). — hic vero jam cavendum est ne quis opinetur adeo discerni ab Aristotele finium humanorum genera ut alterum actionis alterum effectus externi ex sua ipsius natura sit expers. primum enim — quod exemplis illustretur minime opus est — quaecunque ab homine cogitando vel agendo vel procreando efficiantur quodammodo esse actiones (*ἐνεργείας, πράξεις*), quis est quin videat, hoc tamquam si per se ipsum sit perspicuum ab Aristotele fere ubique supponi? non minus autem altera ex parte vitae humanae proprium esse aliquod opus hoc uno ex loco satis superque apparere videtur quo dicit ad veram beatitudinis naturam explorandam et constituendam maxime esse idoneum quaerere, quale sit opus homini proprium quoniam aeque atque in genere artificum, quorum in operibus ipsis bonum rectumque sit positum, res sese habere debeat in genere humano universo.[1]) Itaque nihil in rebus humanis evenire consentaneum est quod aut actione aliqua aut opere quodam prorsus indigeat. — id quoque hoc jam loco adjungatur paucis quod rem nostram levius quidem attingit sed praetermitti nequit, neque artis procreationes neque prudentiae actiones fingi posse animo velut plane separatas a cognitione et intellectu, quod amplius demonstrare superfluum est, quia in definitionibus ipsis quas paullo ante laudavimus veram notionem (*τὸν ἀληθῆ λόγον*) distincte expressam videmus (Eth. VI, 4).

At priusquam quem in modum inter se cohaereant mores ars scientia diligentius disquiramus, progrediamur ea quam inivimus via quo exactius qualia inter agendi et procreandi facultates intercedant discrimina explicetur. ex universa sententia quam de aestimationis principio Aristoteles ubique profitetur ita ut in quovis rerum genere summum bonum (*τὸ εὖ*) positum esse censeat in rei ipsius perfecta natura dum ad finem natura terminatum sese evolvat — ex universa igitur Aristotelis hac rerum aestimationis ratione consentaneum esse debet, in eo factorum vel rerum genere in quo insint extra actiones proposita quaedam, pluris operationibus esse aestimanda opera ipsa.[2]) est igitur hoc judicium nihil fere aliud

---

[1]) Eth. I, 6, p. 1097 b, 23 *τάχα δὴ γένοιτ' ἂν τοῦτο (τί ἐστιν ἡ εὐδαιμονία λεχθῆναι) εἰ ληφθειη τὸ ἔργον τοῦ ἀνθρώπου· ὥσπερ γὰρ αὐλητῇ καὶ ἀγαλματοποιῷ καὶ παντὶ τεχνίτῃ καὶ ὅλως ὧν ἔστιν ἔργον τι καὶ πρᾶξις ἐν τῷ ἔργῳ δοκεῖ τ' ἀγαθὸν εἶναι καὶ τὸ εὖ, οὕτω δόξειεν ἂν καὶ ἀνθρώπῳ.*

[2]) Eth. I, 1 *ὧν δ' ἔστι τέλη τινὰ παρὰ τὰς πράξεις ἐν τούτοις βελτίω πέφυκε τῶν ἐνεργειῶν τὰ ἔργα.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam universa de propositi notione opinio ad rem nostram peculiarem in simplicem concludendi modum adhibita.

Haec autem si re vera ita sese habent concedendum est plane secundum principia Aristotelea effici posse, quod auctor ipse quidem expressis non dixit, ut in eo rerum genere in quo operationes ipsae sint fines, opera — quae cum nulla actione non sunt conjuncta — minoris operationibus sint aestimanda. itaque diversa sunt aestimationis in agendo et procreando principia quoniam hic pretium positum sit in operis statu, in actionis ratione illic. hanc quoque differentiam clare exposuit Aristoteles eo loco (Eth. II, 3) quo finem facit disputationis illius qua via acquirantur boni mores. docuerat autem illic omnes eas facultates quas discendo ut sibi quisque asciscerent opus esset eo solo modo acquiri posse ab hominibus ut opera ipsa quae illis operationibus propria essent a discentibus ipsis efficerentur.[1]) at vero si quis illo argumentandi modo usus docere pergat, eos qui justa faciant hac iterum atque iterum faciendi via demum fieri justos, insistatne suo jure quispiam interrogaturus quidnam intersit inter eos qui justa faciant et eos qui sint justi? in artibus certe eos qui opera musica vel grammatica perficiant — dummodo per se ipsos agant[2]) — musicos vel grammaticos et haberi et appellari. talia qui objiciant eos redarguit Aristoteles hunc fere in modum: aliter se habere rem in artium aliter in virtutum genere, quae enim artibus efficiantur ea in se ipsis finem et pretium (*τὸ εὖ*) habere ita ut satis sit si certum quendam statum praebeant; sed quae virtutibus morum, in iis non acquiescendum esse in eo ut vel justa quaedam vel abstinentia hac vel illa via et ratione perficiantur, immo vero eum qui agat certissimum ad modum agere oportere: atque primum opus esse non nescius deinde libens et propter rem ipsam postremum constans et immutabilis velit agatque. hoc ex conditionum numero primum illud — non nescium agere — quod idem cadat in artes, minoris, alterum et tertium summi momenti esse censenda.[3]) haec postrema si in unum complectimur, positum est aestimationis principium in arbitrio humano (*τῇ προαιρέσει*): quod si bonum rectumque est actionem ipsam — quatenus quidem est pura actio — laudabilem, quod si perversum et imbecillum est actionem ipsam vituperandam reddit. quae quum ita sint suo jure Aristoteles contendit — atque ita ut quasi de re luculentissima loquatur causam amplius omnino non explicet — (Eth. VI, 5, 1040b, 23): *ἐν μὲν τέχνῃ ὁ ἑκὼν ἁμαρτάνων αἱρετώτερος περὶ δὲ φρόνησιν ἧττον ὥσπερ καὶ περὶ τὰς ἀρετάς.* in

---

[1]) hac quoque in re Aristotelem posuisse affinitatem quandam inter virtutes et artes docent quum ea quae enumerantur hoc loco exempla tum praecipue ea quae in initio totius disceptationis (II, 1) scripta videmus: *τὰς δ' ἀρετὰς λαμβάνομεν ἐνεργήσαντες πρότερον ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν.* altera invenitur etiam minoris momenti similitudo paulo infra: *ἔτι ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ διὰ τῶν αὐτῶν καὶ γίνεται πᾶσα ἀρετὴ καὶ φθείρεται ὅμως δὲ καὶ τέχνη.*

[2]) l. l. II, 3 . . *τοῦτο δ' ἐστί τὸ κατὰ τὴν ἐν αὐτῷ γραμματικὴν . . .*

[3]) Eth. II, 3: *οὐδ' ὅμοιόν ἐστιν ἐπὶ τῶν τεχνῶν καὶ τῶν ἀρετῶν· τὰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν τεχνῶν γιγνόμενα τὸ εὖ ἔχει ἐν αὑτοῖς, ἀρκεῖ οὖν ταῦτά πως ἔχοντα γενέσθαι· τὰ δὲ κατὰ τὰς ἀρετὰς γιγνόμενα οὐκ ἐὰν αὐτά πως ἔχῃ δικαίως ἢ σωφρόνως πράττεται ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὁ πράττων πῶς ἔχων πράττῃ πρῶτον μὲν ἐὰν εἰδώς, ἔπειτ' ἐὰν προαιρούμενος δι' αὐτὰ τὸ δὲ τρίτον καὶ ἐὰν βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχων πράττῃ. ταῦτα δὲ πρὸς μὲν τὸ τὰς ἄλλας τέχνας ἔχειν οὐ συναριθμεῖται πλὴν αὐτὸ τὸ εἰδέναι· πρὸς μὲν τὸ τὰς ἀρετὰς τὸ μὲν εἰδέναι μικρὸν ἢ οὐδὲν ἰσχύει τὰ δ' ἄλλα οὐ μικρὸν ἀλλὰ τὸ πᾶν δύναται.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

artificum enim numero is perfectae absolutaeque artis compos habetur qui quodcunque ipse animo sibi finxerit, in opere condendo sua sponte quam exactissime exprimere possit. talis enim artifex dummodo quo tendat recte ei demonstretur, opus propositum procreabit facillime tutissimeque ad similitudinem ejus quam antea mente composuit rei imaginis; is vero artis studiosus qui quamvis recte alteque sibi proposuerit procreandi finem, quamvis magnifica et affluente utatur imaginatione propter minorem habilitatem tamquam technicam ad artificia re vera perficienda minus est aptus, multo minoris est aestimandus, quoniam id quod in arte summum est, opus perfectum dico ipsum, nunquam assequitur.

Atque vero in actionibus, quatenus quidem ad mores attinent, quoniam positus est summus finis atque pretii aestimatio in arbitrio humano ipso, eventus et effectus acti prope nihil valent: de voluntatis ratione et qualitate omnia pendent, omnia sunt eversa et prostrata si arbitrium ipsum recti status est expers.

Haec fere sunt ea quae ab Aristotele ipso de diversitate quae inter actionem et procreationem intercedat, minus quidem de industria quam passim occasione oblata, nobis sunt tradita.[1]) profecta autem quum sit haec disputatio ex certis illis Metaphysicorum locis quibus triplex philosophandi genus theoreticum practicum poeticum constituitur, jam revertamur, postquam accuratius quibus rationibus tria haec genera praecipue poeticum a practico ab auctore ipso discernerentur inter se exposuimus, ad partitionem illam systematis disquiramusque nunc quantam vim et auctoritatem in singulis philosophiae disciplinis elaborandis et disponendis huic attribuerit dividendi principio suo Aristoteles ipse.

Quod vero attinet ad universas eas difficultates et dubitationes quae oboriuntur unicuique qui ex Aristotelis librorum ordine et titulis efficere conetur conjungendo et seponendo qualem philosophiae divisionem pro sua parte in libris conscribendis secutus sit, id a proposito nostro quum alienum esse videatur, satis sit significasse locum quo quamvis breviter de hac quaestione subtili duraque in universum disputavit Eduardus Zeller qui (d. philosophie d. Griechen[2] II, 2, p. 125 sqq.) non modo nusquam fere Aristotelem — cujus rei jam supra fecimus mentionem — singulas quas elaboraret disciplinas ex universo consilio et mera notione philosophiae ut tamquam evolveret operam dedisse sed ne eam quidem quam constituisset partiendi rationem firmam ipsum in partibus systematis peculiaribus excolendis tutatum esse comprobat. atque vero quae in scriptis ad logicen pertinentibus non minus quam in toto theoretico philosophandi genere (cujus partem secundam — mathematica dico — prorsus neglexisse videtur) et in disciplinarum practicarum dispositione obstent angustiae et obstacula ea faciamus missa hic liceat quo majorem

---

[1]) quae ceterae a Teichmuellerio (Aristotelische forschungen II, cap. 3, p. 40 sqq.) recensentur differentiae nobis propter diversas quas hic enumerare longum est rationes non probantur. eam quam in initio totius disputationis (über den unterschied der praktik und poetik) ponit dissimilitudinem refutare conatus est Reinkensius l. l. p. 175—179, qui idem suo jure ad diversitatem illam ex Aristotele illustrandam nihil attributum esse existimavit iis quae a Teichmuellerio tamquam nova et gravia proferuntur cap. IV (unterschied der technischen und praktischen werkzeuge) et cap. V (in der kunst giebt es eine selbständigkeit der dianoëtischen und ausübenden arbeit; das sittliche besteht in der durchdringung des dianoetischen und ethischen).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

possimus navare operam iis quae ad poeticen spectantia composuerit. ac primum quidem si quot qualesque sint scripti libri ab Aristotele ad tertiam generalem quam decrevit esse partem totius philosophiae elaborandam circumspectaverimus, mirum videbitur quod unus oculis nostris sese praebeat liber singularis περὶ ποιητικῆς qui inscribitur. at suffecisset aliquanto magis sane et sibi et nobis auctor, si de arte poetica ita egisset hoc libro ut secundum eam quam in Nicomacheis limavit universae procreandi facultatis definitionem de poetices ipsius principiis ac notione aliquo modo derivasset vel deprompsisset illa argutissime inventa et praecepta de artibus ingenuis et de arte poetica quam solam diligentius hoc loco tractat. sed toto caelo se erravisse mox cognoverit quisquis hac potissimum spe commotus ad librum illum accesserit. — At vero, inquiet quispiam, insipientis nonne est, quoniam quanta ruina obruta sint Aristotelis opera nemo ignorat, ex egestate nostra concludendo efficere ut auctor ipse majores opes omnino non possederit et reliquerit? sed est quod negemus unquam ab Aristotele artium tamquam systema perfectum in principiis generalibus positum elaboratum et publici juris factum esse. primum enim in indicibus iis qui nobis traditi sunt operum Aristotelicorum[1]) de universa procreationis artisque vi nullus, de singulis artium ingenuarum generibus uno de musico liber unicus reperitur si quidem et eos qui ad artis poeticae atque ludorum scenicorum historiam[2]) in modum dialogorum magis popularem levioremque conscripsit et prolusiones commentariosque quosdam (Ἀπορήματα ποιητικά) qui ad similitudinem Problematum physicorum compositi fuisse videntur licet nobis praetermittere. deinde quod etiam plus valere videtur ad probandam opinionem nostram quae vult ab Aristotele omnino non latius artium doctrinam esse tractatam, quocunque vertimus oculos nusquam neque in arte poetica quo in libro pro rerum vicinitate saepissime offertur occasio neque in Rhetorica neque in Politicis ejus quod desideramus generis libri vel disputationes commemorantur vel in posterum promittuntur. atque si quis hanc difficultatem facillime de medio tolli opinetur eum in modum ut existimandus sit Aristoteles ad tertium illud philosophandi genus exarandum postremo accessisse neque satis habuisse temporis propter aetatis brevitatem ad inchoatum opus ad finem perducendum[3]), quotusquisque est cui haec expediendi ratio probetur? haec enim propositio neque cum universa Aristotelis sententia de singularum philosophiae partium ordine et pretio et gravitate consociari potest neque cum disputandi forma et argumentorum copia libri ipsius illius de arte poetica unici neque cum ceterorum librorum temporibus concinere videtur. quid igitur? quod si ex Aristotelis ipsius operibus fieri consentaneum intelleximus eam quam in Nicomacheis et in Politicis et in Metaphysicis et alias passim constituerit differentiam acerrimam inter actionis et procreationis vires, inter ea quae arte et ea quae moribus efficiantur, re vera non abhiberi in condendis et disponendis singulis systematis

---

[1]) summum propter temporis auctoritatem tenet locum Andronici Rhodii qui nominatur index: Diog. Laert. V, 22; cf. Aristot. opp. ed. Acad. Reg. Bor. vol V. frgm. coll. Val. Rose, p. 1463—1473.

[2]) velut quos supra laudavimus de poetis libros III et Διδασκαλίαι qui inscribuntur complures.

[3]) Reinkensius l. l. p. 20: »die vollendung der kunsttheorie scheint seine letzte unvollendete aufgabe geblieben zu sein.«

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

doctrinis, quum definitiones illas limatissimas fere nusquam quocunque conspiciamus applicatas reperiamus — si igitur haec omnia negare nemo potest, estne concedendum iis qui contendant ab Aristotele in morem Platonicum plane confundi usu et consuetudine ut bonum et pulcrum ita virtutes et artes, itaque pro nihilo aestimandum esse illud: *διαφέρειν τὴν ποίησιν εἴδει καὶ τὴν πρᾶξιν*[1]) vel alterum hoc: *ἄλλο τὸ γένος πράξεως καὶ ποιήσεως*[2])?

Atque certe concedamus necesse est saepenumero in libris Aristotelicis neglectam inveniri differentiam illam non minus rerum quam vocabulorum quam quasi ex verbi ipsius vi appareat acutissime expressam arctissime limatam definiendo proposuit, quum *πρᾶξις τέχνη ποιεῖν ἔργον* alia hoc genus nunc ampliore nunc strictiore sensu, diversa genera denique promiscue haud ita raro applicentur. sed jam supra commemoravimus haec quidem magis in verbis quam in rebus esse peccata ab auctore nostro. quicunque enim Aristotelis genus dicendi majore librorum qui in argumentis versentur diversis numero evoluto acrius perspexit eum praeteriisse nequit minime eandem omnibus perscrutationum locis curam ad sermonis vocumque singularum perspicuitatem et constantiam impendi.[3]) hoc autem potissimum in philosophandi genere occurrit gravissima illa difficultas ut pro rationibus multis et haud ita levibus iis quae communes intercedant inter agendi et procreandi facultates neque ex sermonis vulgaris graeci thesauro neque de terminorum ab Aristotele novatorum copia praesto sit vocabulum aliquod proprium, unde factum esse videtur saepissime ut hoc vel illud quod aut speciei poeticae aut practicae peculiare esset verbum sensu amplificato usurparetur ad genus totum in unum complexum quod theoretico oppositum esset significandum. discernendi igitur sunt loci ii quibus de rebus »contingentibus« ad quas utramque pertinere intelleximus in universum agatur ita quidem ut vis aut practica aut poetica nomen praebeat generi toti quod propria vacat voce, ab iis quibus Aristoteles re vera levius vel segnius disputationem gerens quam ipse constituit differentiam occasione oblata tamen non usurpaverit verum potius sermoni vulgari obsequens promiscue vocabulis illis longe diversis usus sit. sed quamquam hac discernendi ratione nonnulli qui hanc differentiam confundere videantur loci facilius expediri possunt, tamen supersunt permultae causae quae haud ita gravis momenti fuisse in philosophiae partibus ipsis constituendis et elaborandis eas quas interposuerit auctor inter operationes et opera (*ἐνεργείας καὶ ἔργα*) differentias probant. atque hoc potissimum pro sua parte afferre possunt ii qui ex Aristotele ipso argumentando efficere velint vanam et quasi sterilem sese praestitisse illam partiendi rationem, quod in eo quem de arte poetica composuerit libro auctor non modo ejus quam artis universae dederit in Nicomacheis definitionis mentionem omnino non fecerit sed ne poetices quidem sensum illum ampliorem aliquo verbo commemorarit.

Ergo nulli usui auctori distinctiones et definitiones illas fuisse concedendum! sunt profecto et fuerunt qui in cassum illa distinxisse Aristotelem persuasum haberent. qui quid

---

[1]) Polit. I, 2. [2]) Eth. VI, 5.

[3]) nonnulla hoc in genere peccata sed neque gravissima neque apertissima collegit Teichmueller p. 4 sqq. cap. II quod inscribitur: »die terminologie ist bei Aristoteles nicht von stricter observanz.«

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

haec sibi velit differentia non dubitaverit reperitur nemo. — atque jam supra paucis commemoravimus quam celeriter inter Aristotelis ipsius discipulos evanesceret subtilior ille dividendi modus quum et Pasicles Rhodius et Eudemus et is qui conscripsit Magna quae vocantur Moralia denique Peripateticorum grex nec non commentariorum auctores Neoplatonici aut neglexerint aut perverterint et confuderint eam quae a magistro constituta erat differentiam. postea longum per temporis spatium hujus generis quaestiones tractari desitae sunt quoniam a medii quod dicimus aevi voluntate studioque longe scilicet erant alienae. sed iis quoque quum sapientiae antiquae studia experrecta sunt temporibus primis diligentius de qua hic disceptamus re explorari nondum coeptum est optimo quidem jure quia magis tum erat necessarium opportunumque perfectarum et absolutarum doctrinarum opes occupare et tueri. — perlustrantibus autem nobis numerum eorum qui de tota philosophia Aristotelea ejusque partibus singulis diligentius disseruerunt recentiore quidem hac aetate primus occurrit vir ille non minus eruditione amplissima quam ratiocinandi et dijudicandi acumine insignis Henricus Ritter qui nullo fere respectu illius dividendi triplicis rationis quam nos quidem unam vere Aristoteleam esse habendam nobis persuasimus habito non modo in doctrinarum singularium serie pertractanda vulgare illud quod ex Platonicorum secta exortum esse diximus partiendi genus sequitur ita ut deinceps quaestiones logicas physicas ethicas collustret, verum etiam illam partem universam quam Aristoteles ipse causis et psychologicis et metaphysicis perductus juxta theoreticam et practicam philosophiam de industria collocavit prorsus negligit et omittit atque eam potissimam ob causam quia »scientia ea quae nihil amplius quam vitae tamquam instrumenta tractanda sibi proposuerit philosophiae verae adnumeranda non sit.«[1]) ea autem in re quum peccavisse Ritterum consentaneum sit, quod poetices principia tam arcte comprehenderit ut huic systematis parti ordinum inferiorum opificum effectiones proprias esse velit, artium liberalium imprimis poeticae ipsius rationem nullam habeat, alteram in partem prorsus contrariam aberravit Aristoteleae philosophiae interpres Franciscus Biese qui universo disciplinarum complexu in scientiam theoreticam et practicam diviso[2]) una cum rhetorica artem poeticam tamquam politices partem considerat ita ut ampliore poetices notione praetermissa et ab ea quam nos aestheticam nuncupare consueti sumus scientia omnino non discreta de sola poetarum procreationis vi et principiis disserat.[3])

At ne longus sim neve in omnibus hujus ordinis scriptoribus percensendis diutius commorer, rei ipsius obscuritate et ambiguitate effectum esse videtur ut aut aeque ac Ritter poeticen plane neglexerint aut non longe aliter atque Biesius in angustos poeseos fines

---

[1]) gesch. d. philos. t. III, p. 58.

[2]) quaestiones logicas et metaphysicas (de quibus priore operis volumine agit) seorsum anteponit disciplinis specialibus ita ut in theoretices circuitum si quaestiones mathematicas quas Aristoteles ipse neglexisse videtur excipimus nihil aliud quam doctrinae physicae cadant. omnino autem Biesius quem hac in re Zeller imitatus esse videtur non tam ex philosophiae notione ac dispositionis principio quam ex librorum Aristoteleorum ordine et numero proficiscens rem suam agit.

[3]) d. philosoph. d. Aristot. in ihrem inneren zusammenhange mit besonderer berücksichtigung des philos. sprachgebrauches aus dessen schriften entwickelt. vol. II, p. 661—732.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

compresserint fere omnes. Etiam Zeller qui eam quam decreverit Aristoteles philosophandi partitionem cum ea via quam ipse in excolendis disciplinis singulis ingressus sit consociari non posse, non dubitat concedere, ex universo operis sui consilio quum secundum librorum Aristoteleorum affinitatem internam, generali divisionis principio omnino non adhibito, quaestiones logicas metaphysicas physicas ethicas deinceps perquirat et collustret, artis doctrinam Aristoteleam tamquam corollarium et appendicem ceteris adjungit quia artem poeticam ab auctore ipso sine ullo cum reliquis philosophandi generibus connexu esse relictam suo quidem jure centendit.[1])

Multo majoris, ut par est, momenti quam auctores ii qui vel totam vel antiquitatis philosophiae universae historiam illustrando complexi sunt, artium doctrinam Aristoteleam fecerunt ii philosophi et historici qui hanc solam disciplinam sive ad antiquam aetatem sive ad omnium temporum memoriam spectantes tractaverunt. at vero quoniam artem poeticam qualem docuisset atque memoriae tradidisset Aristoteles ut explicarent sibi proposuerant pro negotii sui natura certis finibus circumscripta, e consilii hujus arctioris ratione evenit ut non tam darent operam ut quibus vinculis cum universo systemate cohaereret artis poeticae notio atque vis perscrutarentur quid omnino valeret illa, quam nos sensu ampliore nuncupamus poeticen, procreandi facultas, quam ut rem suam angustiorem explanarent profecti ex iisdem principiis in quibus ad singula de tragoedia et epica poesi praecepta et decreta constituenda innititur liber de arte poetica ille Aristoteleus quorum summum locum tenere imitationem (*τὴν μίμησιν*) notissimum est. pauca igitur ad subtilem illam quam nos expedire conamur quaestionem collustrandam attribuerunt Eduardus Mueller, Guilielmus Schrader, Robertus Zimmermann, Maximilianus Schasler, alii hujus ordinis viri illustres quorum singulorum sententias et opiniones percensere longum et a proposito nostro alienum esse videtur. Nunc autem hoc ipso temporis puncto quo haud scio an sedulius uberiusque quam unquam de Aristotelis philosophandi ratione disputatur et dijudicatur, extiterunt duo viri et sagacitate et eruditione prope inter se pares quorum de distinctione ea quae ab Aristotele inter poeticen et practicen constituta est prorsus discrepent judicia quae a neutro sine causarum gravissimarum adminiculis sunt relicta. Teichmueller[2]) enim omnia quae hic vel illic sive cum diligentia sive fortuito ab Aristotele ad differentiam illam illustrandam et confirmandam allata sunt sine minimo dubitationis aut refutationis conatu agnovit consociavit novis argumentis communivit, Hubertus Reinkens[3])

---

[1]) p. 129 sqq. . . »zur ethik wird auch die rhetorik zu rechnen sein, während die lehre von der kunst ein eigenes mit den übrigen in keinen bestimmten zusammenhang gesetztes fach ausfüllt und daher von uns nur anhangsweise behandelt werden kann.«

cf. Brandis, übersicht üb. d. Arist. lehrgebäude p. 5: »weder ob und wie Arist. das gebiet der künste begränzt, noch ob und wie er die methode der kunsttheorie näher bestimmt und von der ethik oder politik näher unterschieden habe, vermögen wir anzugeben.«

[2]) Aristotelische forschungen vol II: Aristoteles philosophie der kunst. Halle 1869.

[3]) Aristoteles über kunst, besonders über tragödie, exegetische und kritische untersuchungen. Wien 1870.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(qui commentationem Teichmuellerianam non ignorat) discrepantiam illam ab Aristotele constitutam vanam quin etiam »sophisticam«[1]) esse arbitratur.

Atque quo quantam vim nos quidem ipsi addicamus distinctioni illi inter artem et virtutem, procreationis et actionis facultates jamjam clarius appareat, eum in modum liceat instituere explicandi rationem ut quas dubitationes et accusationes exhibeat postremus hic Aristoteleae artis doctrinae judex severus deinceps proferamus nec non aut approbemus aut quantum quidem per nos potest fieri refellamus. ac primum quidem injuria mihi quidem videtur Reinkensius contendere Brandisium quoque, quamvis dilucidis planisque verbis dicat: »Aristotelem primum differentiam essentialem quae inter artium procreationes et actiones morales intercedat recte expressisse,«[2]) re vera discrepantiam illam omnino nullam esse iis ipsis verbis docuisse quibus sententiam Aristoteleam illustrare et quodammodo corrigere conatus esset. vernaculo autem sermone hunc quidem locum atque eum ad verbum expressum commemorare aequum esse videtur[3]): »Brandis übt trotz seiner anerkennenden äusserungen eine fast vernichtende kritik gegen die unterscheidung der poetischen von der praktischen tätigkeit. nachdem er nämlich dem philosophen scheinbar eingeräumt, dass die nach aussen gerichtete tätigkeit sich unterscheide je nachdem sie »»in ihrem werke ganz aufgehe und an ihm gemessen werde, oder abgesehen von ihrem werke und erfolge in sich selber in der wollung und ihrer bestimmtheit masz und wertbestimmung finde,«« fährt er fort: »»und damit hat Aristoteles den wesentlichen unterschied zwischen künstlerischem bilden und sittlichem handeln, zwischen kunstlehre und sittenlehre ausgesprochen, aber ausser acht gelassen, dass ohne willen oder vorsatz auch das erkennen nicht zu stande kommt und dass an den in ihm und seiner qualität sich findenden unbedingten wertbestimmungen eben so wol unser erkennen, wie unser künstlerisches bilden in letzter instanz gemessen werden müsse, dass daher die anforderungen, die der wille an sich selber zu stellen hat, als die letzten unbedingten wertbestimmungen aller unserer tätigkeit anzuerkennen seien, die sittliche wertgebung mithin eben so wol der erkennenden wie der künstlerisch bildenden übergeordnet werden müsse.«« »diese kritik«, pergit Reinkensius, »ist vollkommen richtig und — sie hebt den Aristotelischen unterscheidungsgrund zwischen praktischer und poetischer tätigkeit auf. durch die notwendigkeit des willens oder des vorsatzes unterscheidet sich die praktische tätigkeit nicht einmal von der theoretischen, viel weniger denn von der poetischen. jede menschliche tätigkeit hat für das subject derselben ihre unbedingte wertbestimmung in der willensentschliessung und willensenergie und in deren beschaffenheit. dasz die künstlerische tätigkeit hiervon eine ausnahme machen soll, ist eine durch keinen wissenschaftlichen beweis und auch durch keine erfahrung zu stützende rein willkürliche annahme.«

Mihi quidem Brandisius haud ita multum ab Aristotelis vera opinione distare, Reinkensius longissime a recto interpretandi modo aberravisse videtur. suo enim jure arbitratur cum Aristotele Brandisius duplicem in modum posse aestimari quaecunque ab hominibus

---

[1]) l. l. p. 172. [2]) l. l. III, 1, p. 3. [3]) Reinkens l. l. p. 170.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

efficiantur, aut ita ut (quod genus subjectivum nobis quidem comprehensionis causa vocare placet) causae internae quae voluntatem consiliumque commoveant, arbitrii ipsius qualitas denique finis actioni propositus considerentur, aut ita ut facta et opera ipsa quatenus in lucem prodierint pro habitu externo et pretio absoluto denique tamquam momenta quae generis humani opes et felicitatem aut augeant aut diminuant (quod genus objectivum nominare liceat) pendantur. Quis enim est qui infitietur esse re vera hoc aestimationis cogitationum voluntatum actionum factorum humanorum discrimen ut quidquid agatur aut ad subjectum actionis referatur aut objectivo quodam modo ad universam humanorum finium bonorumque summam?

Constat igitur existere e rerum humanarum ipsa natura differentiam inter objectivum et subjectivum aestimationis principium, quorum altero constituatur agentis sive actionis altero acti sive operis pretium absolutum. quem jam fugere potest huc potissimum spectare illam quam in universum confirmaverit Aristoteles inter *ἐνεργείας* et *ἔργα* distinctionem? sed antequam quae vera quae falsa insint singula in philosophi nostri strictiore partiendi ratione exactius perscrutemur, defendendus nobis videtur esse Aristoteles contra eam Brandisii accusationem — quam Reinkensius ultra modum ad suam opinionem corroborandam auxit — quod Aristoteles plane sit oblitus nihil omnino ab hominibus quatenus quidem cum ratione agatur effici neque cogitando neque procreando quod ab voluntate consilioque prorsus abhorreat. sin autem effectuum omnium principium positum sit in voluntate, pro voluntatis qualitate omnia humana esse aestimanda, volunt isti quidem concedatur. sed minime etiamsi primum concesserimus alterum ratiocinandi via comprobare cogimur. atque Aristotelem ipsum non aliter sensisse et docuisse apparebit. jam enim supra demonstravimus adeo ex Aristotelis sententia practices notione comprehendi omnia quae ab hominibus efficiantur ut nihil non moveatur in animo rationis participi vi mentis practicae quum dicat:[1]) *διάνοια δ' αὐτὴ οὐθὲν κινεῖ ἀλλ' ἡ ἕνεκά του καὶ πρακτική· αὕτη γὰρ καὶ τῆς ποιητικῆς ἄρχει· ἕνεκα γάρ του ποιεῖ πᾶς ὁ ποιῶν*[2]) *κ. τ. λ.* atque vixdum opus videtur esse ut singulos in certamen ducamus locos quum ex intimo quod inter practicam et poeticam facultatem nexum videmus vinculo, quoniam non modo utraque nuncupatur habitus (*ἕξις*) sed etiam ex eodem principio (*τῷ λογιστικῷ*) ad easdem res (*τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν*) sese referunt, satis liqueat multum abesse ut Aristoteles discrepantiam absolutam et quasi irreparabilem communiverit inter artium et virtutum acta. hac ipsa affinitate potissimum esse effectum ut vocabula alterutri generi propria vicissitudine quadam usurpata extarent nos quidem non praeteriit. atque eundem fere in errorem inciderent qui ex Aristotelis finium theoretices et practices distinctione efficere vellent, ut nullius omnino momenti essent

---

[1]) Eth. VI, 2, p. 1139 a s. fin.

[2]) Teichmueller haud dubie verum vidit qui dicat p. 26: »man darf nicht übersehen, dass ebensowol die theoretische tätigkeit als eine handlung betrachtet werden kann wie auch die kunstthätigkeit, d. h. mit anderen worten, dass alle tätigkeiten des menschen handlungen sind ohne ausnahme, aber ohne dass man darum aufhören dürfte, die einen theoretische und die anderen technische zu nennen und von der praktischen zu unterscheiden.«

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in virtute cognitio et intellectus. hoc autem ne peccetur impediunt definitiones et artis et virtutis ipsae in quibus omnium oculis apertum suum locum tenet *ὁ ἀληθὴς λόγος*. itaque perverse intelligere videntur Aristotelis doctrinam ii qui ab eo prorsus negatum esse confirment, voluntatem et consilium attinere ad considerandi et procreandi facultates. non minus fallit opinio istos ea qua ducti objiciant philosopho quod fieri non posse velit ut artificis aut sapientis operationes aestimentur pro causa movente et consilio. cui enim persuadebitur id placuisse Aristoteli philosopho severissimo quod e distinctione illa efficiat Reinkensius quasi sine ulla dubitatione concludatur necesse sit[1]): »dass der künstler als solcher nicht blos von jeder ethischen verantwortung, sondern auch von jeder ethischen qualität und anlage frei und ledig zu sprechen sei?« atque Reinkensius ipse nonnulla ex Aristotelis libris quae hac cum sententia male concinant commemorat inter quae id quod summi facit momenti nobis quidem minus videtur esse grave, eum dico artis poeticae locum quo Aristoteles de affinitate quadam inter mores et carminum genera dicit haec[2]): *διεσπάσθη δὲ κατὰ τὰ οἰκεῖα ἤθη ἡ ποίησις· οἱ μὲν γὰρ σεμνότεροι τὰς καλὰς ἐμιμοῦντο πράξεις καὶ τὰς τῶν τοιούτων οἱ δὲ εὐτελέστεροι τὰς τῶν φαύλων.* quid autem opus est in singulis verbis vel locis haerere quum extet in Politicorum libro octavo qui est de educatione eo quidem loco quo de artis musicae, quam instar artium omnium exhibere licet, ad pueros instituendos auctoritate et vi disseritur, tam arctus inter artis et beatitudinis (*εὐπραξίας*) quae neque sine virtute neque sine voluptate existere potest, notiones connexus[3]) ut artem cum virtute ex Aristotelis sententia plane nihil habere commune qui confirment eos longe nimium demonstrasse consentaneum sit.

Sed non is sum qui negem omni culpa esse liberandum auctorem distinctionis illius inter actionem et procreationem. id ipsum plane manifestum velut signum vitii cujusdam videtur mihi esse — siquidem jam ex consequentibus effectuque concludere licet — quod neque auctor ipse neque quisquam ex eorum numero qui ejus doctrinam secuti sunt re vera principium illud divisionis subtilissimum quod universam fere philosophiam certis finibus circumscribere conetur ad singulas scientiae partes constituendas et disponendas adhibuerit. jure igitur objiciunt aliquantum nostro ii qui ostendant id quod ab Aristotele identidem atque id summae gravitatis locis conditum sit partitionis principium, quo tota philosophia in theoreticam practicam poeticam sit divisa, nullo modo quadrare in eos quos ipse de singulis scientiae generibus conscripserit libros. sed etiam longius progredi vituperando par esse videtur. jam supra paucis commemoravimus tantum abesse ut Aristoteles artem suam poeticam connexuerit cum generalibus poetices principiis ut ne artis quidem notionem ampliorem in initio dissertationis suae ponat sed sine ullo universae quae multo longius spectet artis definitionis respectu ex principiis iis quae artibus imitatricibus (*ταῖς μιμητικαῖς*) sint propria proficiscatur neque ullo totius commentationis loco mentionem

---

[1]) l. l. p. 171. [2]) Poet. 4, p. 1448b, 24.

[3]) cf. Pol. p. 1339b, 17: *τὴν διαγωγὴν ὁμολογουμένως δεῖ μὴ μόνον ἔχειν τὸ καλὸν ἀλλὰ καὶ τὴν ἡδονήν· τὸ γὰρ εὐδαιμονεῖν ἐξ ἀμφοτέρων τούτων ἐστίν.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

faciat ejus qui inter artes liberales et artificum inferiorum et opificum denique procreationis ipsius facultatem consistat connexus. attamen ubicunque de procreandi vi et arte universa verba facit in differentiam illam a practico genere spectantia, ex artium ingenuarum, quas cum Platone magistro ponit in imitatione, fere nusquam, ex opificiorum et vitae quasi externae artium numero exempla certa libentissime depromit quorum frequentissima sunt *ἡ κιθαριστική ἡ οἰκοδομική ἡ ἰατρική ἡ γυμναστική.* eo quoque Ethicorum loco (VI, 4) quo artis limatam illam definitionem proponit (*ἕξιν μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητικήν*) talem exempli gratia artem affert quam ad imitatrices minime ipse quidem adnumerat, aedificandi scilicet dico artem quam in numero artium utilium[1]) una cum lato varioque opificiorum complexu collocatam esse ab Aristotele inter omnes constat.[2]) Cavendum igitur est — quod praeter ceteros Reinkensius ubicunque de artis Aristotelea definitione universae disserit prorsus neglexisse mihi videtur — ne nimis excelsam et tamquam pure »idealisticam« attribuamus vim illis quae constituunt notionis comprehensionem verbis, velutsi ad sublimia carminum genera sola vel ceteras eas modo quas in arte poetica levius quidem attingit liberales artes referenda sint.[3])

Quodsi tam late patere ambitum notionis procreandi et artis negare jam nemo potest qui quidem verba definitionis simplicia non ad suam opinionem contra auctoris ipsius consilium interpretetur, deinde si in numero exemplorum juxta eas inferiores quasi artes quas modo enumeravimus velut *οἰκοδομικήν ναυπηγικήν γυμναστικήν* inveniuntur *στρατηγική* quin etiam *οἰκονομική*[4]) quibus haud ita raro adjungitur *ῥητορική*[5]) quas postremas aliis locis vel genera vel partes *τῆς πολιτικῆς* esse haud dubie docetur, quis tandem est quin videat incerta relicta esse non pauca neque sibi constare Aristotelem in conservanda illa differentia inter poeticam et practicam philosophiam quamvis distincte eas inter se esse diversas semel voluerit? itaque non injuria ab Aristotelis ipsius sententia haud nimium abesse eos contendere liceat qui rhetoricam quidem artem ad genus poeticum adnumerent, quamquam nos ipsos minime praeterit esse quod credamus Aristotelem ipsum generi politico sive ethico eam adscribi maluisse.[6]) id autem neminem fugere potest hoc potissimum interesse

---

[1]) differentiam inter artes imitatrices et utiles, quam ab Aristotele constitutam esse plerique putant hoc potissimum loco (Phys. II, 8): *ὅλως τε ἡ τέχνη τὰ μὲν ἐπιτελεῖ ἃ ἡ φύσις ἀδυνατεῖ ἀπεργάσασθαι τὰ δὲ μιμεῖται*, omnino nullam esse sed omnes artes aequum in modum et naturam complere et imitari comprobare nuper conatus est E. Bratuscheck, philosoph. monatshefte 1869, p. 133—157.

[2]) cf. Teichmuell. l. l. p. 126 sqq.

[3]) suo jure impugnat Reinkensio hac quidem in re Susemihl (zur literatur v. Aristot. Poetik VI art. Ann. Fleckeis. vol. 105 et 106, fasc. 5 ad cap. VII Poët.): »R. legt der definition der kunst eine viel zu hohe bedeutung bei; denn da hier von aller kunst die rede ist, müsste auf diese weise auch dem handwerker ein erfassen der ewigen wahrheit beigelegt werden.«

[4]) Eth. I init. [5]) Eth. I, p. 1094b, 2.

[6]) cf. Zeller II, 2, p. 125 sq.: »wiewol die rhetorik an sich vielleicht mit mehr recht zu den poetischen wissenschaften gerechnet würde, kann ich doch Brandis (II, b, 147), welcher diesen ort für sie vorzieht, nicht beitreten.« cf. eod. l. adnot. 2: »Ravaisson essai s. l. Metaphys. d'Ar. I, 244 ff. will die theoretische philosophie weiter in die theologie, mathematik und physik, die praktische in die ethik, oekonomik und politik, die poetische in die poetik, rhetorik und dialektik teilen.«

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inter universam Rhetorices et Ethicorum explicandi et praecipiendi viam ut in omnibus quaestionibus moralibus quas utraque quasi res communes considerent et aestiment, Ethica ad momentum subjectivum et psychologicum spectent, Rhetorica ad rerum dictorumque effectum qui in auditoris opinione et statu sit positus omnia referat.[1]) atque hanc in diversitatem optime quadrare id quod supra de vera totius illius inter operationes (ἐνεργείας) et opera (ἔργα) differentiae natura exposuerimus, quippe quae posita sit in objectivo aut subjectivo aestimationis principio, quis est quin perspiciat?

Verum enimvero etiam universa Politicorum doctrina utrum generi practico an poetico adjudicanda sit sunt qui dubitent, sunt quoque qui eum qui rei publicae instituendae et administrandae facultatem exerceat omnium artium summam gravissimamque exhibere velint. satis sit unius percipere vocem atque ejus qui quum postremas nostrae aetatis de hoc quaestionum genere disputationes percenseat[2]) haecce dicat: »Völlig richtig ist der einwand, den Reinkens (s. 173) macht, dass auch über den wert des staatsmannes der erfolg wesentlich mit entscheidet. aber was folgt hieraus? nichts weiter, als dass die auffassung der politik als der ethik des staates bei Plato und Aristoteles eine grundfalsche, aus der dem Griechenthum noch fehlenden scheidung von recht und sittlichkeit entsprungene, dass der staat, so sehr er die versittlichung seiner bürger im auge haben muss, doch etwas ganz anderes, als die erziehungsanstalt zur tugend, dass die tätigkeit des staatsmannes gar keine direct sittliche, sondern vielmehr eine poetische, dass sie die oberste aller nützlichen künste ist.«

Unde tandem hic dubitationum accusationum controversiarum acervus cumulatus! nobis quidem res talem in modum explanari posse videtur: humana quoniam omnia sive cogitando sive agendo sive operando et procreando efficiantur ex uno eodemque fonte, — animam dico quam sine interna quadam unitate nobis effingere omnino non possumus, — originem ducere consentaneum est, non magis voluntatis consiliique et cujusdam modi quo evolvantur et ad finem perducantur expertia sunt quam mentis rationisque. immo vero nihil — quod quidem praesente conscientia et non invito auctore eveniat — fieri potest humani quin ex arbitrio tamquam omnium cogitationum et factorum principio initium capiat, finem aliquem sibi proponat, his vel illis instrumentis vel externis vel internis adhibitis viam effectionis percurrat, finem aut assequatur aut non attingat, aut bene aut male evadat. talis quum sit via qua omnia quae opera humana efficiantur procedant luce clarius est nihil humani meram operationem nihil merum opus esse habendum. itaque neque practica neque theoretica vis alicujus operis est expers non minus autem artificis effectio sine voluntatis consiliique principio cogitari nequit.

Duplicibus igitur inter se conjunctae sunt generales illae hominis facultates vinculis quae corrumpi delerique omnino non possunt. sed mens humana abstractionis quam nos

---

[1]) hanc ipsam diversitatem extare in definitionibus singularum notionum ethicarum fere omnibus quae in utroque libro constituantur comprobare conatus est Sal. Kalischer de Aristotelis Rhetorica et Ethicis Nicomacheis et in quo et cur inter se quum congruant tum differant dssrt. Halensis 1868.

[2]) Susemihl l. l. quo et Teichmuellerii et Reinkensii libros diligentius perlustrat p. 320.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

assuevimus appellare praedita vi ita singula rerum elementa quae per se semper connexa manent seponere potest ut contemplantibus vel unum ex omnibus relinquatur cetera evanescant. atque praecipue a philosophi negotio non alienum videtur esse, certis sane ex causis et certo pro consilio alias aliis rationibus res considerare. licet igitur per rerum ipsarum naturam variam compositamque unum actorum humanorum genus ex interna potissimum causarum et moventium et finalium ratione alterum magis pro effectu statuque externo contemplari atque aestimare. quae quum ita sint concedendum est hoc ex principio quamvis objectiva differentia absoluta inter diversa hominum acta et facultates constitui nequeat, tamen ex singularum functionum psychicarum natura existere posse causas quae huic aut illi actionis momento praecipuam vim et gravitatem ut addicamus nobis persuadeant. jamjam quantum veri quantum falsi contineat triplex illa partiendi ratio Aristotelea dilucidius apparebit. ac primum quidem sagacissimo philosophandi acumine dinstinctum est inter res eas quarum principia extra nos ipsos sita ex aeterno condita immutabilia sunt ad quae ipsa arbitrium nostrum omnino non attinet et eas res vere humanas quae pro voluntate consilioque nostro commutari possunt, quae quidem vulgo appellantur contingentia. sed non satis perspexisse videtur philosophus, nos quidem, si mente res illas aeternas attingere et quasi ad nos detrahere conemur id est intellectus facultate in nobis ipsis tamquam imitemur, non in modum divinum simpliciter uno obtutu percipere objecta illa sublimia, verum potius ut naturae humanae par est neque sine certo quodam arbitrio et consilio quod aut laudabile aut vituperabile esse possit neque sine via quadam difficili variis vehiculis indigente aut magis aut minus directa, neque sine bono aut malo eventu et effectu nos rebus illis potiri et finibus nostris adaptare. itaque neque principio ethico neque ratione quasi technica carent mathematica metaphysica physica. quae si recte judicantur dubitare nemo potest quin illa quae ex antiquissimis temporibus philosophiae universae instrumentum (*ὄργανον*) habita est disciplina haud injuria generi poetico adnumerari possit. logicen dico vel dialecticen quam ab Aristotele ipso sine certo intra systema loco esse relictam pernotum est. altera autem ex parte ad summum bonum id est ad beatitudinem quam in bene agendo (*τῷ εὖ πράττειν*) collocat noster quantum valeat scientia mere theoretica, singulis exemplis vel locis illustretur opus omnino non est quoniam ex universo philosophandi principio Aristoteleo apparet id quod expresse scriptum videmus in Ethicorum libro decimo:[1]) *ἡ δὲ τελεία εὐδαιμονία θεωρητική τίς ἐστι ἐνέργεια.*

Multo propius quum inter se congruant practica et poetica scientia quam utraque cum tertia theoretica — quod identidem ostendimus — etiam magis in iis mixta et conjuncta esse practices et poetices elementa consentaneum est. atque jam antea intelleximus re vera universam disciplinam politicam duplici ratione considerari ab Aristotele ipso. in Ethicis enim ratione subjectiva et psychologica actiones humanas pro voluntatis et consilii qualitate metitur in arte rhetorica et in Politicis ipsis objectivum quod nos constituimus aestimationis principium praeponderat.

---

[1]) p. 1178b, 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atque postremo si quis interrogaverit quem in modum explicandum sit illud quod non injuria crimini versum esse videtur Aristoteli ut in genere poetico suo circumscribendo nullius prope fecerit momenti rationem subjectivam, et psychologicam et ethicam, de operibus solis modo quodam objectivo disputaverit et dijudicaverit, hac nobis persuasum est ex causa evenisse universum illud vitium, quod neque satis intellexerit quantum ad totam humanam naturam evolvendam valeat imaginandi at procreandi facultas neque, quoniam de affectuum »aestheticorum« natura et vi parum recte judicaverit, justam imaginationis artificum rationem habuerit.

Schultz.

Typis Drægerianis (C. Feichtii).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inter universam Rhet aecipiendi viam ut in omnibus
quaestionibus moralib considerent et aestiment, Ethica
ad momentum subje etorica ad rerum dictorumque
effectum qui in audi nia referat.[1]) atque hanc in
diversitatem optime q ius inter operationes (ἐνεργείας)
et opera (ἔργα) differ uae posita sit in objectivo aut
subjectivo aestimation

Verum enimvero rum generi practico an poetico
adjudicanda sit sunt ni rei publicae instituendae et
administrandae facult am gravissimamque exhibere
velint. satis sit unius postremas nostrae aetatis de
hoc quaestionum gene licat: »Völlig richtig ist der
einwand, den Reinken n wert des staatsmannes der
erfolg wesentlich mit nichts weiter, als dass die
auffassung der politik und Aristoteles eine grund-
falsche, aus der dem ng von recht und sittlichkeit
entsprungene, dass der seiner bürger im auge haben
muss, doch etwas ganz r tugend, dass die tätigkeit
des staatsmannes gar k eine poetische, dass sie die
oberste aller nützlichen

Unde tandem hic d um acervus cumulatus! nobis
quidem res talem in mo quoniam omnia sive cogi-
tando sive agendo sive op eodemque fonte, — animam
dico quam sine interna non possumus, — originem
ducere consentaneum est usdam modi quo evolvantur
et ad finem perducantur e. immo vero nihil — quod
quidem praesente consci — fieri potest humani quin
ex arbitrio tamquam on ipio initium capiat, finem
aliquem sibi proponat, vel internis adhibitis viam
effectionis percurrat, fine aut bene aut male evadat.
talis quum sit via qua procedant luce clarius est
nihil humani meram oper um. itaque neque practica
neque theoretica vis alic tem artificis effectio sine
voluntatis consiliique prin

Duplicibus igitur int hominis facultates vinculis
quae corrumpi delerique c a abstractionis quam nos

[1]) hanc ipsam diversitat num ethicarum fere omnibus
quae in utroque libro constit her de Aristotelis Rhetorica
et Ethicis Nicomacheis et in c ifferant dssrt. Halensis 1868.
[2]) Susemihl l. l. quo et ius perlustrat p. 320.

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf